MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80322-12

AUTHOR:

DEVENTER, WILHELM KONRAD

TITLE:

DE LITERA N GRAECORUM ...

PLACE:

MONASTERII

DATE:

1863

Master Negative #

91-80322-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Deventer, Wilhelm Konrad, 1839-
De litera n Graecorum paragogica. Monasterii, Coppenrath, 1863.
36 p. 19½ cm.

Thesis, Münster, 1863.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 11-25-91 INITIALS G.G.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.


SIGILLVM · COLLEGII · COLVMBIAE · NOVI · EBORACI
IN LVMINE TVO VIDEBIMVS LVMEN

DE LITERA
N GRAECORUM PARAGOGICA

DISSERTATIO GRAMMATICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE XXX. MENSIS JULII A. MDCCCLXIII.

PUBLICE DEFENDET

GUILELM. CONR. DEVENTER
PADERBORNENSIS GUESTFALUS
SEMINARII PHILOLOGICI MONAST. SENIOR.

MONASTERII.
TYPIS COPPENRATHIANIS.
MDCCCLXIII.

CONRADO DORSEL

SACELLANO IN SALZKOTTEN

OPTIME DE SE MERITO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS
SACRAS ESSE VULT

SCRIPTOR.

CONRADO DORSEL,

> **Es sind aber auch lauter in sich kleinliche einzelnheiten, auf welchen der totaleindruck der sprachen beruht und nichts ist mit ihrem studium so unverträglich als in ihnen bloss das grosse, geistige, vorherrschende aufsuchen zu wollen. Genaues eingehen in jede grammatische subtilität und spalten der wörter in ihre elemente ist durchaus nothwendig, um sich nicht in allen urtheilen über sie irrthümern auszusetzen. W. v. Humboldt, Kawispr. p. LXII.**

I.

Quum ante nonnullos menses quaestionem instituissem de litera *ν* apud Graecos, quae dicitur paragogica sive ephelcystica, quae ejus sit vis ac natura, utrum etymologica caussa nitatur nec ne, mox intellexi ad hanc rem qui accedat dijudicandam haud inutile et leve quid esse facturum, ut primo obtutu forsitan cui videatur. Nam res late patet et ad multa pertinet et, ut probe cognoscatur, non satis est scriptores Atticos legisse, sed opus est etiam dialectorum Graecae linguae cognitio et grammaticae comparativae. Quare suscepi exponendam et rationem etymologicam hujus literae et usum scriptorum, dialectorum, inscriptionum. Copiosius enim haec materia nondum tractata est; qui commentationem: „de litera *ν* paragogica“ scripsit Godofredus Hermannus in libro de emendanda ratione graecae grammaticae 1801 p. 13—24 de usu praecipue agit, etymologiam uno tantum loco tetigit infeliciter p. 14, ubi dicit: „additamenta sunt vocabulorum minime necessaria, ut i dativorum pluralis.“ Praeterea Fridericus Müllerus brevem commentationem edidit: „Einiges über das *ν ἐφελκυστικόν* im Griechischen“ Wien 1860, in qua duae tantum formae tractantur et id quidem ratione a me aliena. Grammaticorum Buttmannus diligentissime et sagacissime

hanc rem inquisivit, sed minime absolvit; eum secuti sunt Thierschius et Krügerus. Ad nostram commentationem quod attinet, eam ita instituemus, ut primum de formis et vocabulis, in quibus ν paragogicum apparet, agamus, cognatas linguas comparantes et dialectorum rationem habentes, tum de usu rebusque aliis ejusmodi.

II.

In nomine vulgaris sermo unam tantum formam praebet cum ν parag. dat. plur., in pedestri oratione attica III. tantum declinationis, sed satis frequentes sunt etiam I. et II. decl. formae in σι(ν) desinentes in poesi et in dialectis, ut exempla afferre non opus sit. Quaeritur primum, quam rationem inter se habeant formae I. et II. decl., ut τιμαῖσι(ν) et τιμαῖς, λόγοισιν et λόγοις, utrum haec ex illa mutilata an diversa origo utriusque statuenda sit. In latina lingua nihil est, quod comparetur, sanscrita vero, zendica, lithuanica in comparationem vocari possunt. Cum sanscriti instrumentalis terminatione âis qua utuntur masculina et neutra in a contulit olim Boppius graecum αις et οις, Abhandl. der Berl. Akad. 1826 p. 80, quum Graecorum dativus instrumentalis etiam vice fungatur, sed hanc sententiam postea reliquit, nullum discrimen inter utramque formam dativi graeci αις et αισι, οις et οισι statuens, Gramm. comp. I. 494. Differunt autem formae vulgares et antiquiores Ὀλυμπίασι(ν) ταμίασι(ν) Ἀθήνησι(ν) Θήβησι(ν) Πλαταιᾶσι(ν) Περγασῆσι(ν), quae in inscriptionibus praecipue inveniuntur (cfr. Buttmanni Gramm. §. 116. not. 6, qui vero formam aliter explicat; Matthiae Gr. Gramm. §. 258; Boeckh. C. I. G. I. p. 80; Franz, Elem. epigr. gr. p. III; Christ, Griechische Lautlehre p. 45), eo quod in his ι ante sigma non apparet, quod illae habent; quae res, ut intelligatur, comparatio sanscritae declinationis efficit; terminatio locativi pluralis est su, quae themati affigitur; mascu-

lina et neutra in a desinentia hanc vocalem, addito i, in ê mutant, cui ê apud Graecos οι respondet II. decl. in λόγοις; feminina apud Indos, quae in â desinunt, hanc vocalem non mutant; cum iis congruunt illi dativi antiquiores Ὀλυμπίᾶσι(ν) etc.; postea prima declinatio graeca ad analogiam secundae transiit ι inserens ante sigma, quod, postquam ι post sigma excidit, factum esse videtur, ut formae dativi et accusativi dissimiliores redderentur; nam sine caussa complures viri docti contendunt, ι, quod prius post sigma fuerit, ante sigma positum esse; ι potius excidit, ut II. declinationis analogia satis demonstratur.

Jam exponenda est, quam posuimus, similitudo dativi plur. graeci cum cognatarum linguarum locativo. Lithuanicae linguae loc. plur. exitum habet in sa aut su aut se, quarum terminationum cognatio cum indico su liquet; lettica quoque lingua consentit, quae eadem locativum retinuit. Zendicae autem linguae locativus finit in sʻva aut hva, ut asʹpaisʻva, hizvâhva, quibus sanscrite sva respondeat. Zendicam formam antiquiorem esse jam eo est verisimile, quod longior est et in sanscr. similes mutationes inveniuntur.

Cum hoc zendico sʻva vel hva consentiret graece σϜι, cfr. Aufrecht in Zeitschrift für vergl. Sprachforschung I. p. 118, ita ut ι attenuatum sit ex α. Ϝ assimilatione, quae dicitur regressiva, mutatum est in σ; hoc videmus in formis epicis et aliarum dialectorum νήεσσι, Ϝεπέσσι; uno sigmate eliso vulgaris forma exstitit ἔπεσι. Patet igitur ex cognatis linguis, locativum, sive quod idem est, graecum dativum in vocalem desinere et semper desiisse, quantum adhuc cognosci potest. ν ἐφελκ. ergo additum est posteriore tempore; cfr. Wüllner, Ueber Ursprung und Urbedeutung der sprachl. Formen p. 159, qui putat, s in su significare pluralem numerum. Müllerus vero sub finem comment. cit. p. 7. demonstrare studet, hoc ν sive aliam consonam ejus loco antiquitus in hoc casu fuisse proponens antiquissimam locativi formam ans vel ins, ex qua ortum sit sans-

1*

critum su; sed ejus expositio, quamvis ingeniosa et docta sit, nimis mihi videtur artificiosa; formarum enim, quas proponit, nihil omnino ne vestigium quidem exstat. Wir gewinnen, dicit, auf diese Weise eine passende Erklärung für den ganzen Local und das sonst ganz sinnlose *ν ἐφελκυστικόν* im Griechischen. Quodsi vir doctissimus putat, nunquam et nusquam addi posse literam sine caussa etymologica et insita notione, nisi antiquitus fuerit, optime refutâtur lingua prâcrita, quae in hac ipsa forma saepe anusvârum addit; cfr. Lassen, Institutiones linguae prâcriticae p. 311 et Hoefer de dialecto prâcrita p. 139; quod licet tenuiorem sonum habuerit, tamen vera est consona, quum efficiat positionem. In sanscrita lingua nihil convenit cum hoc anusvâra et prâcritam alicubi antiquiores formas retinuisse quam sanscritam linguam minime demonstratum est.

III.

Restat, ut commemoremus, quomodo Theodorus Benfeyus dativum pluralem I. et II. declinationis apud Graecos explicet. Dicit (Griech. Wurzellexicon II. p. 104): In der Declination der Themen auf a (Msc. Neutr.) wird im Sanscr. organ. âbhis, êbhis mit ê für â (vgl. sivê - bhyas) durch Schwächung von bh in h: êhis und Ausstossung des h: âis, ebenso griechisch *λόγοις* für logo - his, deren Analogie auch die Feminina *τιμαῖς* folgen. Dieselbe Erscheinung auch in: *μο-ι* für *μο*-h-*ι* (mihi) *μο*-bh-*ι*; *σοι* für *σο*-h-*ι* = sibi, *ὑμῖν* = sanskr. yus'mabhyam. Quamquam jam supra hanc explicationem protulimus, hic paullo uberius de ea agere placet. Si omnes unius linguae declinationes ex una eademque ortae sunt, haud consentaneum est, alicujus diversarum declinationum casus diversas statuere notiones et suffixa, quoad aliter explicari potest; quod vero attinet ad *ὑμῖν* = scr. yus'mabhyam, de qua forma postea agemus, comparatio non quadrat; nam declinatio pronomi-

num non plane congruit cum nominibus. Deinde si hanc reciperemus sententiam, *ι* finale in *τιμαῖσι* et *λόγοισι* nihil aliud foret, nisi additamentum minime necessarium, ut Hermannus contendit. Eadem igitur notio et terminatio omnium dativorum pluralis est apud Graecos. Hoc loco etiam de adverbiis quibusdam dicendum est, quae dativi pluralis formam habent, ut *παντάπασιν*, quod facile explicatur ex locali significatione dativi, minus bene ex instrumentali. Eadem forma est *ὥρασι(ν)*, in tempore, *θύρασι(ν)*, foris, antiquior pro *ὥραις* et *θύραις* a nom. *ὥρα* et *θύρα*. *ν* horum vocabulorum idem esse intelligitur, quod dativorum ceterorum. Denique *πέρυσι(ν)* similitudinem praebet; sed aliae doricae formae *πέρυτι* et *πέρυτις* docent non esse dativum. Cfr. Bekkeri Anecdota p. 1319 e codice Barocc. *τὸ μέντοι πέρυτις προπαροξυνούμενον Δώριόν ἐστιν, ἐκ τοῦ πέρυσι μεταποιηθέν*. Sed rem aliter se habere satis constat. Cfr. Ahrens de dial. dor. p. 63. De etymologia hujus vocabuli cfr. Bopp, Gramm. comp. III. p. 481; Benfey l. c. I. p. 312; Georg Curtius, Grundzüge der griech. Etymologie No. 360; Bopp, Glossarium sanscritum 1847 s. v. vatsara, Pott, Etymol. Forschungen 1. Aufl. I. p. 124; II. p. 266. Omnes consentiunt, idem esse cum sanscrito: parut anno praeterito. Equidem confero *πέρυτις* cum adverbiis in *ις*, ut *μέχρις* et *πολλάκις*, quamquam horum extrema syllaba longe differt, quae eodem modo *ς* deponunt et retinent. *ς* transiit in *ν*, postquam *τ* in *ς* mutatum est, quod saepius fit (cfr. *τύπτομες, τύπτομεν*) et hoc *ν* est mobile. Quae explicatio magis mihi arridet, quam si quis contendat, *ν* additum esse locat. formae *πέρυτι* mutatae in —*σι*, quum hoc modo *ν* caussa etymol. careret. Qui additum esse *ν* putat, analogiam proferre potest *εἴκοσι(ν)* in quo *ν* revera additum est; formae antiquiores et dialecticae sunt (cfr. Ahrens l. c. p. 63): *Ϝίκατι, Ϝείκατι, βείκατι, εἴκατι*; cognatarum linguarum: sanscr. vin's'ati, send. vis'aiti, lat. viginti (forma goth. tvaitigjus minus apte ab Ahrensio comparatur), in quibus omnibus neque *ν* videmus in fine neque aliam literam, ex qua *ν* in

εἴκοσιν ortum sit. Commemorandum videtur, εἴκοσι apud Homernm nunquam ν assumere, sed tantum ἐείκοσιν inveniri ν instructum, cfr. Buttmann, Gramm. §. 26, 3. not.; Krüger, Gramm. II. p. 16.

IV.

Quum accingar de nominum terminatione φι sive φιν dicere, multae et diversae hominum doctorum sententiae respiciendae sunt. Dronkius commentationem de ea scripsit in Museo Rhenano 1854, p. 619—623; novam explicationem non afferens de significatione et usu apud Homerum agit. Thierschius in Gramm. gr. §. 177 habet φιν pro antiquo pronominis dativo, qui nominibus suffixus nullum artum casum significet, sed omnium vice fungi possit; omnes praeterea casus ex hoc suffixo ortos esse putat. Quae sententia quum apud neminem amplius valere videatur, denuo eam refutare haud opus est. Wüllner, Ursprung etc., copiosius de hoc suffixo agit p. 189 seq.; vim pronominis ei tribuit comparans cum dativo pronominis φίν, qui invenitur pro σφίν; literam ν additam esse putat, cfr. p. 196. Benfeyus l. c. II. p. 240 dicit, φιν habere ν ἐφελκυστικόν, quod ita intelligit, quasi compenset elisum σ; cfr. II. p. 104; cfr. praeterea Aufrecht in Zeitschrift für vergl. Sprachf. I. p. 117; Georg Curtius, Neue Jahrbücher für Philol. 1853, p. 10; Heyse, System der Sprachwissenschaft p. 452 seq.; R. Kühner, Ausf. gr. Gramm. §. 262, qui falso contendit, φιν non nisi in substantivis inveniri; invenitur enim in omnibus vocabulis, quae declinantur, ut ἦφι, κρατερῆφι. Jam quaeritur de his formis explicandis; plerique hominum doctorum, qui de iis agunt, φιν idem esse putant cum sanscrita terminatione instrumentalis bhis, quae in omnibus substantivis usurpatur, praeter ea, quae in a breve desinunt. Quod ad literas attinet, nihil obstat; sed tum φιν pluralis tantum terminatio esse posset, usurpatur

autem saepius etiam in singulari, ut στρατόφιν, κρατέσφι; investiganda est igitur singularis forma, cui φι(ν) respondeat; ejusmodi in substantivo non est, in pronomine vero est forma dativi bhyam, ut secundae personae tubhyam, in prima persona est mahyam mutilatum, ut zendicum maibyâ demonstrat; pronominum terminationes cognatas esse cum substantivorum constat, e. g. genetivi pluralis latinae I. et III. et V. declinationis respondent sanscr. genetivo pronominum, differunt a genetivo substantivorum, quare hic etiam licet singularem casum cum pronominis casu comparare. Sed oritur difficultas, quod hoc modo in plurali alium casum quam in singulari haberemus pro eodem φιν, cujus prima notio eadem esse debet. Propterea sequimur Boppium, qui in altera editione grammaticae comparativae I. p. 431 novam explicationem profert φιν comparans cum sanscr. bhyas, terminatione dativi et ablativi pluralis, cujus ya contractum est in i, cujus rei analogiam affert l. c. p. 423: „die latein. Endung bus wofür man bius erwarten sollte.“ Sic res melius se habet; nam ablativus pluralis sanscr. in substantivis interiit, ejusque vice fungitur simul dativus; ex his apparet, φιν primum fuisse φις, quod servatum est in adverbio λικριφίς et ἀμφίς, quod huc trahere non dubito, aliter Curtius l. c. p. 258, nro. 400. Litera ς in universum quidem non mutatur in ν, in principio vocabulorum hoc nunquam fit, sed in fine haud varo ν pro ς ponitur. In lingua prâcrita eadem mutatio invenitur, de qua Hoeferus l. c. p. 79 seq.: „num s fit Anusvâra? Paucis verbis tangere liceat Instr. formam prâcr. in hin exeuntem pro scr. bhis, quae duplicem rursus admittit explicandi rationem. Aut enim hin cum Anusvâra suo ex bhis oritur, aut sylluba hi ex bhis, s omisso, orta prior est, et postea demum Anusvâra instructa; sicut Loc. §. 68. II. b. Quae extrema ratio praeferenda videtur.“ Mihi quidem aliter videtur; non enim intelligo, cur homines, si extrema litera elisa intelligebant vocabulum, postea adderent aliam litteram, quae illam compensaret. Hodierni Graeci dicunt

γράφομε 1. pers. plur. praes., quae forma amisit literam in fine, sed quamquam saepissime nasalem vocabulis in fine affigunt ut acc. sgl. III. decl., huic formae nunquam eam addunt. Praeterea exemplum, quod affert Hoeferus, non quadrat, quum in locativo pluralis primo quidem anusvâras additus sit, ubi antea nulla omnino litera erat, tum in hac forma interdum tantum anusv. est, in Instrumentali vero semper. ν igitur ex ς ortum, non pro eo positum esse putamus, quod quomodo factum sit non intelligitur. Fr. Müllerus l. c. putat ex ς primum factum esse h, tum sonum, qui nasali similis erat, tum verum ν; sed hanc rem longius persequeremur. Mutationis hujus apud Graecos exempla adsunt nomina aliquot et in ν et in ς desinentia, ut δελφίς et δελφίν, quae forma apud recentiores scriptores legitur; in verbo τύπτομες et τύπτομεν, in duali τον, τον respondent sanscr. thas, tas.

Itaque in φιν quoque, quae est terminatio pluralis, ν ex ς ortum et non sine caussa additum est. Jam de φιν singulari, quod ex bhyam ortum esse supra diximus, quaeritur, quae hic sit natura literae ν, nam in singulari aeque atque in plurali usurpatur. Bhyam apud Latinos factum est bi in tibi, sibi, aliis, am omissum est; hoc etiam apud Graecos esse putamus, praesertim quum saepissime ν in fine vocabulorum excidat, zendica quoque lingua in maibyâ m amisit. Sic φι primum in singulari usurpatum est, in plurali φις et postea φιν. Quum vero hae terminationes quasi obtorpuissent, fieri potuit, ut sine discrimine usurparentur, φιν in singularem irreperet et φι in plurali poneretur, aut quod magis mihi arridet, in φιν litera ν erat mobilis, et sic inter utramque formam discrimen non jam erat, propterea singularis quoque ν assumere poterat. Obtorpuisse terminationem apparet ex usu adverbiali et conjunctione cum praepositionibus, quae plane diversam notionem exprimunt. Abiit quoque in usum adverbialem in ἶφι et νόσφι, de quorum priore tamen sententiae valde diversae sunt. Boppius l. c. I. p. 432 in eo cognoscit

radicem ι, quae in hoc uno vocabulo servata sit; cfr. A. Kuhn in Zeitschrift X. p. 290; Benfeyus l. c. I. p. 294: ἶφι Instrument. statt ἶφις mit Kräften; Lobeckius, Parallip. gramm. gr. p. 119. Pictetus in Kuhnii et Schleicheri Beiträge zur vergl. Sprachforschung I. p. 89 derivat ἶφι a substantivo quodam ἰφις, ex quo ortum sit ἴφιος, sed non video, quis casus sit ἶφι, nam utrumque ι deberet esse longum in dativo. G. Curtius, Grundz. Nro. 592 dividit ἶ-φι, ex quo φι suffixum est, de quo agimus. Etymol. M. s. v. ἶφι: . . . ἴς, ἰνός, ὃ σημαίνει τὴν δύναμιν, γίνεται ἰνόφι καὶ κατὰ συγκοπὴν ἶφι. Eandem sententiam profert scholiasta ad Iliadem I. 151. Alii, (cfr. Papii lexicon s. v. ἶφι) habent hoc vocabulum pro neutro adjectivi deperditi ἶφις, quae explicatio et ea, quam Boppius sequitur, maxime mihi placent; utra vero sit melior dijudicare difficile; radix ι, ex qua Boppius derivat, hoc uno in vocabulo exstaret; adjectivi ἶφις eodem modo nihil aliud haberemus; una res pro hac explicatione mihi facere videtur, quod ἶφι nusquam habet ν paragogicum, quod certe esset, si in eo esset terminatio φι, nisi est singularis, qui ν non adscivit, adverbium νόσφι(ν) autem habet ν; est etiam φ in adjectivo ἴφιος, quod haud facile foret, si φ in ἶφι ad terminationem pertineret; ἴφιος ex ἶφις ita formatum est, ut ex ξένος ξένιος alia.

Eadem difficultas etymologica oritur in adverbio νόσφι(ν), cfr. Pott l. c. I. p. 575, qui Lennepii etymologiam affert ex ἄσφι cum negatione. Sed non dubito, quin hic habeamus suffixum φιν; aliter explicare non possum, neque invenio dissensionem apud viros doctos, qui de hoc vocabulo scripserunt, de prima syllaba νος tantum sententiae variant, quod pro nostra quaestione nullius est momenti. Hartungius: Die Lehre von den griech. Partikeln II. p. 94, putat νος idem esse cum sanscrita praepositione inseparabili nis, quae significat ex; cfr. Wüllner l. c. p. 215, §. 65, Benfey l. c. I. p. 320 seq., qui varias profert etymologias. — Denique μέσφι, quod eandem habet significationem at-

que *μέσφα*, huc pertinere videtur; sed quum nunquam *ν* in fine addatur, satis sit citasse Benfeyum l. c. II. p. 30, qui explicat ex *μεσ-ο-φι(ς)*. Ex hac, quam instituimus, quaestione de nominum terminatione *φι(ν)* colligitur, *ν* non additum esse propter euphoniam vel similem caussam, sed pertinere ad terminationem aut ex analogia ortum esse, quae res alia est, quam si mere additum esset; cfr. M. Rapp, Grundriss der Grammatik etc. I. p. 213.

V.

In tertiae declinationis accusativo *ν* saepius additur, ubi ex grammaticorum praeceptis in *α* exire debet; a grammaticis hoc *ν* non dicitur paragogicum et eo quidem ab illo differt, quod non hiatus vitandi caussa ponitur. Multi jam de hac re scripserunt, quorum nomina affert Mullachius, Grammatik der griech. Vulgaersprache p. 162. Mihi ad manus fuerunt Coraes ad Plutarch. Alcib. c. 22, p. 365, T. II; Lobeckii Parall. gr. gr. p. 140 seq., qui Corais verba affert; Mullachius l. c.; Nauckius, Aristophanis Byz. fragm. p. 208 seq. Qui viri docti non tam rem explicare studuerunt, quam exempla congerere. A Mullachio afferuntur ex inscriptionibus *τὸν ἥρωαν* C. I. 2264. *τὸν ἄνδραν* C. I. 1781. *τὴν μητέραν* C. I. 1998. b. A. 10. *τὴν θυγατέραν* C. I. 2039, 2264 b, fere eadem a Nauckio l. c., alia Lobeckius l. c. p. 142. Apud posteriores scriptores ejusmodi accusativi haud rari, creberrimi in versione veteris testamenti Alexandrina, ut *αἶγαν* Num. 15. 27. *ἄνδρακαν* 28. 13. *βασιλέαν* Reg. III. 1. 15. multa alia. Inveniuntur quoque accusativi neutrorum in *αν* ut *αἷμαν, πρᾶγμαν*, cfr. Lobeck l. c. Gregor. Corinth. ed. Schaefer p. 341 seq. *Ἰδίως δὲ λέγουσιν οἱ Σικελοὶ — καὶ τὴν μήτραν δελφύαν, τὴν γυναῖκα γύναν* et Pherecratis versus apud Etymol. Mag., in quo legitur *γυνήν* accus. Quomodo igitur illud *ν* explicandum est? Quatuor modis hoc fieri potest, ac primum

quidem *ν* additum esse putari accusativo tertiae declinationis, ut, de quo supra jam diximus, *ν* in dativis pluralibus. Huic respondemus, illud *ν* dativorum hiatus vitandi caussa usurpari; quamquam hic de origine illius *ν* non quaerimus, tamen jam dicendum est, *ν* accusativorum hoc modo nunquam usurpari. Tum nullum aliud exemplum exstat, ubi *ν* post *α* additum sit, contra *ν* in fine vocabulorum saepius post *α* eliditur, ut in aor. primo act. I. pers. sgl., quod ex comparatione sanscritae linguae videmus; *ἔδειξα* enim respondet sanscrito adiks'am; in imperfecto et aoristo secundo *ν* quidem servatum est, sed vocalis a, quam aliae linguae retinent, in o mutata est, cfr. *ἔτυπτον ἔτυπον*, lat. eram. Nostro jure videmur hanc primam explicationem rejicere posse.

Tum quispiam putet, deberi illud *ν* accusativo, scilicet antiquius esse *ἄνδραν* quam *ἄνδρα*, *ἐλπίδαν* quam *ἐλπίδα*, quum cognatae linguae iisdem in formis n aut m praebeant. Hoc quidem habet aliquam veritatis speciem; nam revera cognatae linguae praebent in fine accusativi nasalem, ut sanscrite padam latine pedem graece *πόδα(ν)*, sanscr. mâtaram, *μητέρα(ν)*, sanscr. naram, *ἄνδρα(ν)* pro *ἀνερα(ν)*. Repugnat vero, quod graeca lingua abhorret a *ν* post *α* in fine vocabulorum, cfr. supra de aor. I. Praeterea in neutris quoque apparet, quibus ex comparatione linguarum cognatarum non convenit, quamquam hoc fortasse tribuendum est analogiae masculinorum aut inscitiae temporis nimis serioris. Sed ut hoc *ν* habere posset pro primitivo, ante omnia demonstrandum esset, jam antiquissimis temporibus id inveniri. Omnia vero exempla, quae afferuntur, scriptorum posteriorum sunt, quum opus esset inveniri apud Homerum vel antiquos lyricos; quae ex inscriptionibus afferuntur, etiamsi inscriptionum omnium aetas certe definiri non potest, ea non tam antiqua sunt, ut hanc rem confirmare possint.

Tertium res ita expediri possit, ut illi accusativi non tertiae declinationi, sed primae tribuerentur, nam haec ha-

bet accusativum in *αν* desinentem, et ut formati essent a nominativis primae declinationis *ἄνδρας, ἐλπίδα* etc. Hanc explicationem sequitur Rossius, Inscript. gr. I. p. 20, II. p. 31. Ejusmodi nominativos collegit Lobeckius l. c. p. 145, ut *αἶγα, γλαῦκα, κρέκα, φλέβα, φλέβαι* et multos alios, sed omnes sunt recentioris aetatis circa Christum natum. Recentiores etiam sunt nominativi *λαμπάδα, ἑβδομάδα,* cfr. Lobeck l. c. Nominativus *Δήμητρα* nonnunquam legitur; locos contulit Lobeckius l. c. p. 142, a quibus separandus est ob multo frequentiorem usum accusativus *Δήμητραν*, qui jam apud Platonem legitur Cratyl. 404 B. Nominativi illorum vocabulorum primae declinationi convenientes multo rariores sunt, quam accusativi in *αν* desinentes, alii casus: genetivus et dativus ad similitudinem primae declinationis formati desunt, terminatio masculina *ας* nominativi, a qua ducerentur accusativi msc., ut *ἄνδραν*, nunquam invenitur. Quapropter optimum erit, si, quae tantum superest, quar tam explicandi rationem recipientes, illos acusativos tertiae declinationis nominativis tribuimus ad similitudinem primae declinationis formatos. Ostenditur hac re, quomodo sensim formae intereant; fieri potuisset, ut paullatim pleraque III. declinationis vocabula ad primae similitudinem formarentur et quae superfuissent anomala haberentur.

VI.

„Restat denique in nomine consideranda Boeckhii sententia (de metris Pindari p. 101): „Primum enim apud Homerum saepe videtur hiatus esse, ubi prisca litera digamma explebat intermedium, ut in *μέγα Fειπών, καλὰ Fέργα, μελιηδέα Fοῖνον*: similisque videtur fuisse caussa, cur in dativo singulari tertiae declinationis toties admissus videatur hiatus, ut *ἤματι Ἄϊδος, ἔγχεϊ Ἰδομενῆος, παιδὶ ἀμύνει* (exempla collegit Hermannus ad Orphica p. 730, 731), qui dativus in prisca Graecorum lingua mihi quidem videtur habuisse *ν* paragogicum, quod in solo posthac plurali

dativo remansit. Itaque, ut *ἀνδράσιν, βασιλεῦσιν, ἔγχεσιν* dixere veteres, ita et *ἀνέριν, ἔγχεϊν, βασιλῆϊν* pronunciaverint quandoque: nam si quis hanc hiatus speciem inde excusaverit, quod vocalis I omnino hiatum non faciat, is quidem multis poterit refutari exemplis.“ Non probanda est haec sententia; nam hiatus in allatis exemplis non tam gravis est sequenti *α*, in altero exemplo digamma puto esse statuendum, ut vocabulum derivandum sit ab *ἰδεῖν* idemque Pyth. IV. 21. *ἀνέρι εἰδομένῳ*; vestigia enim digammatis haud rara sunt apud Pindarum, ut notum est e. g. in pronomine *οἷ* quod saepissime hiatum efficit et in aliis vocabulis. Nem. X. 15. *Τηλεβόας ἐναρόντ' ὄψιν οἱ ἐειδόμενος* ultima syllaba vocabuli *ὄψιν* digammate addito positione producitur; nam arsi hanc rem tribui non licet. Comparatio hujus *ν* paragogici cum digammate non plane quadrat; nam digamma in prisca Graecorum lingua fuisse non solum ex hiatu similibusque concluditur, probatur et cognatis linguis et dialectis graecis, in quibus remansit, in nulla vero dialecto apparet hoc loco *ν* paragogicum neque probatur cognatis linguis. Facere pro hac sententia forsitan videatur dativus pronominis personalis *ἐμίν τεΐν*, hic autem dativus non ejusdem originis est, cujus dativus nominis. Dativus nominis respondet sanscrito locativo, dativus pronominis vero sanscrito dativo. Hoc *ν* igitur additum esse deberet postero tempore, ut, de quo jam diximus, *ν* dativi plural., porro haec res alia est, quod in dativo pluralis literae *ι* antecedit *σ* idemque est, quod postea videbimus in III. pers. plur. verbi temp. praes. etc. et litera *σ* quidem videtur in hoc *ν* valere. Veri dissimilis, ut demonstravimus, illa est Boeckhii sententia, pro qua praeterea nulla argumenta allata sunt.

VII.

Jam transeamus ad pronomen, in quo *ν* paragogicum saepissime occurrit, eo tamen discrimine, quod non

semper hiatus vitandi caussa *ν* usurpatur, sed in multis formis *ν* postea omnino evanuit et formae ipsae *ν* instructae in dialectis tantum servatae sunt. Ac primum quidem de pronomine personali agemus. Vulgaris linguae formae sunt nominativi *ἐγώ* et *σύ*. In dialectis autem invenimus etiam *ἐγών*, *ἐγώνγα*, *ἐγώνη* apud Dorienses, (cfr. Ahrens de dial. dor. p. 247 seq.) apud Aeolenses *ἔγων* (cfr. Ahrens de dialectis aeolicis et pseudoaeolicis), apud Boeotos *ἱών*, *ἱώνγα*, *ἱώνει*, *ἱώγα*, quod affert Hesychius (cfr. Ahrens l. c. p. 206). Pro *σύ* Dorienses dicunt *τύ*, *τύγα*, *τύνη*, Laconibus tribuit Hesychius *τούνη*; Boeoti *τού*, *τούν*, *τούγα*. Explicandum est *ν*, quod quidem interdum, sed non semper usurpatur ut *ἐφελκυστικόν* ad hiatum vitandum, cfr. Ahrens locis citatis. *ἐγών* comparari potest cum sanscrito aham et zendico azem, sed utraque haec forma extremam syllabam habet correptam, quae res difficultatem movet, latinae formae ego extrema syllaba anceps est, sed inde nihil concludi potest. Tota quaestio versatur in eo, utrum sit *ν* idem cum sanscrito m, an postea additum. Boppius, Gramm. comp. II. p. 103 putat, elisa nasali fortasse vocalem productam esse; tum melius quadraret forma *ἐγόν*, sed potuisse hanc formam assumere productam vocalem ex mutilato *ἐγώ*, quae sententia nimis dubia est, quia non affertur analogia, etiamsi aliter illam productionem explicare non possum; fortasse effecta est vi, quam haec syllaba accipit in pronuntiando. Jam antiqui grammatici dubii erant, num ad vim augendam in *ἐγώνη*, *τύνη*, *τούνη* affixum sit *νη* an *η*; cfr. Ahrens de dial. dor. p. 256, ubi grammaticorum loci allati sunt, ita ut formae in *ν* desinentes abjecerint *η* et in *ἐγών* et *τούν* revera *ν* additum sit quamquam non sine significatione; nos pro certo habemus, *η* affixum esse; nam dativus etiam *ἐμίν* et *τίν* auctus invenitur *ἐμίνη*, *τίνη* similiter *ἐγών-γα*, *ἐπει-ή*, *ὅτι-ή*, *τί-η*; cfr. Apollonius Dyscolus de pronom., ed. Bekker p. 64, 69, 104, 105; Ahrens l. c. Vocalis quoque longa demonstrativis ad vim augendam affigitur, ut *οὑτοσί* et in nostra lin-

gua medii aevi â substant., interject. et imperat., ut wâfenâ, lâzâ, heiâ, neinâ. Deinde in antiquissimis linguae monumentis promiscue *ἐγών* et *ἐγώνη* leguntur cum notionis discrimine; syllaba *νη* scilicet vis augetur, ut non facile de apocope litterae *η* in *ἐγών* cogitari possit. Pottius, Etym. Forsch. I. p. 574. comparat *ν* in *ἐγών* cum n in sanscrito aham. *ἐγών* igitur idem cum sanscrito aham et zendico azem esse censemus, sed non refert in nostra quaestione, si quis alteram, quam proposuimus, sententiam sequitur; id enim constat, *ν* non euphoniae caussa additum esse. De *τύνη*, *τούνη*, *τούν* tantum dicendum est, convenire *τύν* et *τούν* cum sanscrito tvam, (*τυ* = *συ* = tv in tvam) cujus semivocalis *υ* in vocalem rediit et cum sequenti a contracta est, quod jam in zendico tûm apparet; *ν* eandem naturam habet, quam in *ἐγών*. Dat. sgl. formae trium personarum sunt, *μοί*, *ἐμοί*, *σοί*, *τοί*, *ἐμίν*, *ἐμίνγα*, *ἐμίνη*, *τίν*, *τίνη*, *τεΐν*, *οἷ*, *ἶν*. Diversitas, quae interest inter formas in *ι* et eas in *ν* exeuntes, tanta est, ut primo statim obtutu diversas origines et notiones vindicare possimus. *μοί*, *ἐμοί*, (quod auctum est praefixa vocali, quae in multis apparet vocabulis, ut *ὀφρύς*, *ἀνήρ*), *σοί*, *τοί*, *οἷ* sunt locativi formae conveniuntque cum substantivorum formis *οἴκοι*, *Ἰσθμοῖ* etc., aliae vero formae *ἐμίν* etc. conferendae sunt cum sanscrito dativo mahyam tubhyam, (cfr. Pott, l. c. p. 573 seq., qui hanc sententiam praefert) cujus m finale transiit apud Graecos ut semper in *ν*, neque illae formae ex his derivari possunt; simile quid in plurali inveniemus; cum his congruunt latina: mihi, tibi, sibi, quae terminatione am abjecta litteram j in vocalem mutatam produxerunt. Quantitas graecae terminationis *ιν* vacillat; apud poetas primitus eam productam fuisse colligitur ex eo, quod contractione orta est; de quantitate et usu horum pronominum apud Pindarum cfr. Ahrens, de dial. dor. p. 252 et G. Hermanni opuscula I. de dial. Pindari p. 256. Cui dialecto *τεΐν* tribuendum sit, docent Ahrens l. c. et Baehr ad Herod. V. 61, Homericum existimantes. Apud Home-

rum legitur Il. XI. 201; Od. IV. 619, 829; XI. 560; XV. 119. Dual. pron. pers. non praebet formas, in quibus adderetur aut omitteretur ν finale, dat. plur. autem eo est insignis, quod vulgaris linguae formae ἡμῖν et ὑμῖν nunquam ν abjiciunt, ut dativi nominum; σφίσιν rursus ν mobile habet. Primum afferam primae et secundae personae diversas formas; doricae sunt ἁμίν, orthotonumenon, ἅμιν in enclisi (cfr. Apollon. de pron. p. 120, 123), eodem modo ὑμίν et ὗμιν, aeolicae ἄμμιν; dicit Apollon. p. 124, παρ' Αἰολεῦσιν ἕνεκα τῆς συντάξεως πολλάκις ἀποβάλλει τὸ ν δι' εὐφωνίαν. ἴμμι et ὔμμιν, quod apud Aeschylum Eumenid. 610 decurtatur in ὔμμι'; pro ἡμῖν Alcaeus, quem affert Apollonius l. c. p. 123, habet ἄμμεσιν Fragm. 100 apud Bergkium „Poetae graeci lyrici.“ Boeotica forma est οὑμῖν pro ἡμῖν: Ann. Oxon. I. 146, 15. Omnes hae formae a vulgaribus eo differunt, quod accentus et vocales mutatae sunt et μ apud Aeolenses duplicatur; in ἄμμεσιν vero alia formatio sigmate proditur. ἡμῖν, ὑμῖν etc. respondent singularibus ἐμίν, τεΐν, ἵν, et derivanda sunt a sanscritis asmabhyam et yusʿmabhyam, s ante m huic assimilatur, b excidit, y initiale in yusʿmabhyam spiritus asper fit, ut esset ὑμμε-h-ιν eodem modo, quo tubhyam fit τίν, tum fit ὕμμιν, ex quo elucet duplex μ in formis aeolicis esse antiquum; mutatio spiritus Aeolum psilosi tribuenda est. Videmus in fine harum vocum jam antiquitus fuisse ν, quod interdum abjicitur eo facilius, quod conjunguntur enclitice cum antecedentibus vocabulis, quo accentus et vis earum amittitur.

Ἄμμεσιν, quod uno tantum Alcaei loco, quem attuli, legi, omnino dativi vice fungi videtur, quam notionem etiam Apollonius ei tribuit. Benfeyus l. c. I. p. 153 seq. eandem originem habere putat, quam ὑμῖν. Boppius l. c. II. p. 121, nota, cui adstipulor, confert hanc formam cum sanscrito locativo asmâsu, qui ortus est ex asmâsva, ut in substantivis; cfr. supra de dativo plurali substantivi. Boppius scribit ἀμμέσι omisso ν, ita vocabulum magis convenit

sanscritae formae, num apud Graecos ita invenerit, nescio, sed non puto; id constat, ν eandem naturam habere, ut ν in dat. nominum plurali et certe, si saepius legeretur, etiam sine ν finali haberemus.

Tertiae personae dativi pluralis sunt vulgaris σφίσι(ν) contracta σφί(ν), qua vulgaris quoque Doris utitur, Syracusanorum est ψίν, Laconum φίν, Aeolum ἄσφι, ut apud Sapphonem, fragm. 43, Bergk. ὅτα πάννυχος ἄσφι κατάγρει, et apud Alcaeum, fragm. 73, Bergk. ὅτ' ἄσφ' ἀπολλυμένοις σάως. Addito ν hanc formam non inveni, fuisse autem colligitur ex analogia ceterarum formarum; α praefixum est, ut facilius pronunciaretur. Longior forma σφίσι conferenda est cum sanscrito et zendico locativo in su, sva desinente, sicut dativus nominum; radix est σφι, quod idem est cum sanscrito sva attenuato a in i; simplex quidem sva non invenitur, sed tantum in compositis, ut svastha sui compos. σφίσιν igitur ortum est ex sva-sva; quale sit ν finale, nunc liquet. In forma Syracusana ψίν literae σ et φ transmutatae ψ effecerunt. Laconum φίν ante φ amisit σ, ut saepe duplicum consonarum altera excidit. Breviores formae ex σφίσιν ortas esse negari non posse videtur; quomodo factum sit, duplex explicandi ratio praebetur. σ saepe apud Graecos ejicitur inter duas vocales, quo facto vocales aut eaedem manent aut contrahuntur; σφίν autem ι habet correptum; vulgaris igitur contractio non est, si hoc modo forma orta, mutilata est, quod in vocabulo saepissime usurpato verisimillimum videtur; deinde quispiam crediderit, nudam radicem esse σφί, cui additum sit ν paragogicum, cujus rei analogiam accusativos μέ, σέ, ἕ flexione carentes afferre non ausim. Denique σφί ita ex σφίσι derivari posset, ut omisso ι finali σ factum sit ν, quam mutationem vidimus in terminatione instrumentali φι(ν), quae explicatio paene in eodem mihi est pretio, quum antecedente φ facile ad illius terminationis similitudinem vox formari posset, quae in casus notione fere convenit. Kuehner l. c. p. 386 breviores has formas singulari tribuendas esse

contendit. Quavis vero harum explicationum recepta ν posteriore tempore additum esse intelligitur.

VIII.

De ν paragogico in dativo plurali aliorum pronominum separatim agere non opus est, cum consentiat cum nominum dativo, ut τίσι(ν), τοῖςδεσσι(ν), cujus compositi utraque pars dativi terminationem habet; δεσσιν a particula δέ derivatum Boppius l. c. II. p. 142, 143 ita explicat, ut δεσσιν (conferendum est τῶνδεων allatum ex Alcaeo, Ann. Oxon. I. 253, 19) sit sola flexio servata hujus particulae, quae cognata sit cum radice pronominali το; cognationem eam quidem recipio, puto flexionem non remansisse, sed postea additam esse ex analogia. Aliud ν apparet in nominativo neutrius compositorum pronominis οὗτος (cujus ipsius neutrum est τοῦτο) τοσοῦτος, τοιοῦτος, τηλικοῦτος, quae in ο desinunt τοιοῦτο etc. et in ον τοιοῦτον; praeterea ἄλλο in compositione ν assumit, cfr. Apoll. de pron. p. 41, A. Τοῦτο ἁμάρτημα φωνῆς, ὅπερ κατωρθοῦτο ἐν τῷ συνθέτῳ, τὸ ὀφειλόμενον ν προςλαμβάνον. ἔξαλλον γὰρ καὶ περίαλλον, ubi videmus Apollonium putare, ν esse primitivum, et αὐτό, si cum articulo conjungitur, plerumque ταὐτόν sonat, ut apud Eurip. Phoen. 38; cfr. de harum formarum apud tragicos usu Kampmann: Indices ad Euripidem, ed. Matthiae; ταὐτό legitur apud Soph. Oed. R. 734. Trach. 425 etc. Alia pronomina in ο desinentia sunt ὅ, τό, ἐκεῖνο. His neutris t in fine proprium esse docent sanscrita lingua: yat, tat, anyat, êtat, gothica: ita, thata, latina id, quid, quod, illud, ipsud, quod aliquoties invenitur; graeca autem lingua non patitur in fine vocabulorum τ; inde colligi posset, t illud apud Graecos in ν mutatum esse, cfr. M. Rapp: Grundriss der Grammatik des indoeuropäischen Sprachstammes I. p. 211, nisi recentiores essent formae cum ν; apud Homerum quidem nondum inveniuntur. t finale ergo jam antiquissimis temporibus in-

teriit, in τουτοδί, quod apud comicos legitur, (cfr. Kuehner l. c. p. 397) δ non est antiquum, sed δί compositum est ex particula δέ et ι demonstrativo, ut in τουτογί ex γέ cum ι ortum est γί. Neque vero paragogicum credimus esse illud ν, sed ex masculino accusativo in neutrum irrepsisse, quod fieri potuit, quum masculinum et neutrum primitus non diversa sint aut, quod melius est, ν inde natum esse, quod in τοιοῦτος etc. compositione obscuratum erat οὗτος et in ταὐτόν, αὐτό et ad similitudinem adjectivorum formarentur. Euphoniae sive ejusmodi caussae gratia ν non additum esse liquet. Denique ν mobile invenitur in pronominibus post ι demonstrativum, si antecedit σ, ut οὑτοσί(ν), ἐκεινοσί(ν), τουτουσί(ν) et in adverbio οὑτωσί(ν); usurpatur hoc ν ante vocales; cfr. Apollon. de pron. p. 75, C. Draco Stratonicensis de metris p. 106; Phavorin. s. v. οὗτος. Buttmannus, qui ceterum ν paragogicum ad vocabula pertinere putat, in hoc uno casu vitio sermonis Atheniensis ex similitudine aliarum formarum in σι(ν) desinentium affixum esse censet, cfr. Gramm. §. 80. not. 2; Boppius l. c. II. p. 168, propriam formam sine ν statuit; Christ, Griech. Lautlehre 1859 p. 94 vedica lingua comparata contendit ν antiquum esse, in qua im idem significans affigatur plerumque pronominibus, quam sententiam cur non probemus, mox apparebit. Magis arridet Maximiliani Schmidtii: De pronomine graeco et latino 1832, p. 38 explicatio, qui dicit: quomodo autem sit explicanda illa syllaba, hoc commentator quidam Dionysii Thracis scite exposuit in Bekkeri Anecd. p. 916, 11, qui tertiae personae pronomen ι, de quo §. 5. egimus, nusquam nisi in οὑτοσί, ἐκεινοσί reperiri commemorat. Idque ut verum esse credamus, linguae sanscritae efficit auctoritas. Namque in Rig-Vedae specimine, cujus §. 5, mentio est facta, compluries „id" quod pronominis tertiae personae neutrum est genus, pone pronomen demonstrativum, quo vis ejus intendatur atque augeatur, collocatur. Quare idem in lingua graeca factum esse credibile est. Ex hac sententia ν est

paragogicum quae est Benfeyi quoque sententia, qui aliam originem statuit l. c. II. p. 187 seq. derivans a sanscrita particula hi (nam); aliam formam esse *γί* suffixum in *τουτογί* etc., quod melius explicatur ex *γέ* cum *ι*, ut *δί* in *τουτοδί* ex *δέ* + *ι*, attenuatum *γί* esse *ι*, de quo agimus. *τουτίν*, quod affert, (*τοῦτο* + *ιν*) nusquam investigare potui; eandem sententiam profert I. p. 282 seq. I. p. 3; reliquum esse putat radicis pronominalis *ι*. Ut denique dicamus, quid ipsi de hac particula sentiamus, habemus eam cum Boppio, Gramm. comp. II. p. 168. pro adverbio locum significante, cognatam cum radice demonstrativa *ι*. Utcunque vero res se habet, id habemus persuasissimum, *ν* esse paragogicum, quia tantum ponitur, si antecedit *σ*, post quod in aliis etiam formis *ν* additur et aliae quoque particulae, quae ad vim augendam affiguntur, in vocalem finiunt, ut *γέ*, *δέ*, *η*.

IX.

Nunc de *ν* paragogico agamus adverbiorum, quippe quae cum nominibus et pronominibus maxime cognata sunt. Ac primum quidem de suffixo *θε(ν)*, quia ejus usus latissime patet; exprimit motionem „e loco", quae genetivo quoque exprimitur, quare ejus vice interdum fungitur, ut in *ἐμέθεν*. Latine sonat „tus" in funditus, penitus, coelitus, tur in igitur, quod perperam cum agitur confertur. In sanscrita lingua respondet accurate dhas quod in uno tantum vocabulo invenitur; cfr. Boppii Gloss. Sansc. 1847 Berolin. s. v. adhas et adhama, Gramm. comp. III. p. 243 seq. et p. 26; quod suffixum mutatum est ex usitatiore tas, anyatas = *ἄλλοθεν* servatum in latino tus et graeco *τος* in *ἐντός* = intus, *ἐκτός*. s finale saepe in nasalem mutari supra jam demonstravimus, quopropter haec derivatio offendere non potest, quam Benfeyus quoque l. c. II. p. 269 sequitur. Aliud suffixum est *θα* respondens zendico dha sanscrito ha, etiamsi saepius apud Graecos utrumque confunditur ut *δῆθα* et *δῆθεν*. Wüllner: Ursprung p. 200 seq. *θεν* putat esse pronomen tertiae personae attenuatum ex *θα* cum *ν* paragogico. Cfr. M. Schmidt l. c. p. 39, 77, 97. Quam proposuimus explicationem sequitur etiam W. Christ l. c. p. 143. Jam liquet *ν* in suffixo *θεν* non esse paragogicum; abjicitur a poetis tantum metri caussa, apud atticos scriptores pedestres fere semper servatur, cfr. Choeroboscus in Aldi Hortis Adonidis p. 216, b. *Τινὲς ἐν τοῖς ἐπιῤῥήμασι, τῷ ἄνωθεν, κάτωθεν, οὐρανόθεν, γῆθεν καὶ τοῖς ὁμοίοις ἐφελκυστικὸν διαλαμβάνουσι τὸ ν. Ὅθεν καὶ συμφώνου ἐπαγομένου οὐ γράφουσιν αὐτὸ, οὐρανόθε τὸ φῶς, γῆθε τὰ ἄθη.* Aliter existimat Etymol. Mag. p. 385, 47. coll. Zonaras Lex. p. 896: *δεῖ δὲ γιγνώσκειν ὅτι τὸ ἔκτοσθε καὶ προτέρωθε καὶ τὰ ὅμοια χωρὶς τοῦ ν γράφεται εἰ μὴ φωνῆεν ἐπιφέροιτο*, quod sequitur Tzetzes ad Lycoph. 482. Locos, ubi *θε* legitur apud atticos scriptores, multos contulit Lobeckius ad Phrynichum p. 284 seq. s. v. *πάλι*. Agit de hac terminatione uberius Apollonius Dyscolus de adverbio, ed. Bekker p. 563, 19—566, 10 indicatque vocabula, quae mutent saepe *θεν* in *θα*; cfr. Ahrens de dial. Aeol. p. 153. Confusio utriusque terminationis ita explicanda est, ut dicamus, confusas esse notiones motionis e loco et quietis, quod facile fieri poterat, quum in multis vocabulis evanuerit fere notio motionis, ut *ὕπερθεν*, *ἔνερθεν*, quod etiam in latinis vocabulis supra, extra etc. videmus; quae quum sint ablativi, primum significant motionem. Minus apte mihi videtur dicere Ahrensius l. c.: comparanda est duplex, quae fuisse videtur, forma *λεγόμεθα* et *λεγόμεθεν*, nam utraque forma primitus eadem fuit neque discrimen est in significatione. Aliud vocabulum, cujus *ν* finale est, *πάλιν*, apud pedestres scriptores *ν* non abjicit, saepius apud poetas seriores, ut Hymn. Orph. 72, 5, ed. Hermann. *ἔμπαλι δὲ ψύχοντα.* Cfr. Stephani Thesaurus s. v. *πάλιν*, ubi multi alii citantur loci, sed et codd. et edd. in hac re variant. Rhetores saeculi alterius post Christum detraxisse *ν* tradit Phrynichus s. v. *πάλι: οὕτω λέγουσιν οἱ νῦν ῥήτορες καὶ*

ποιηταὶ, δέον μετὰ τοῦ ν, ὡς οἱ ἀρχαῖοι λέγουσιν. Lobeckius adnotat: Propria est haec Phrynichi observatio neque ab ullo Atticistarum repetita; vitium ipsum hodie nusquam in rhetorum scriptis apparet.“ Videmus ex his, ν non posteriore tempore additum esse, ut hiatus vitaretur. Si de etymologia quaerimus vocabuli, complures prolatae sunt explicationes a Benfeyo l. c. I. p. XIV dicit: πάλιν möchte ich jetzt lieber mit πέλ-ομαι zusammenstellen; dann gehört es zu der sanskr. Wurzel hvri drehen. II. p. 293 confert πάλ-λω. II. p. 341 „πάλι der Form nach wol alter Dativ ι für âya und ν in πάλιν ephelkystisch“. I. p. 130 putat πάλι respondere sanscrito locativo parê. Sin vero quis putaret, primitivam formam esse πάλιν, hanc explicari posse ex locativo declinationis pronominalis para(sm)in, si statueretur ante linguarum disjunctionem sm nondum in declinatione fuisse. Quod si fieri posset, eodem jure comparare liceret cum sanscr. dativo pronominalis declinationis in bhyam, sed hoc est difficilius. Ut denique mei ipsius sententiam proferam, πάλιν habeo pro accusativo, cognatum cum sanscrito para (alius, posterior), qui saepius vim adverbialem accipit, ut in adverbiis in δην, δον, δα, quarum terminationum prima est accus. I. decl., altera II. decl., tertia accus. plur. II. decl. neque putandum est, in duabus prioribus ν additum esse. De πάλιν cfr. etiam Kuehneri Gramm. I. p. 408; de terminatione δον, δα, δην Pott, Etymol. Forsch. II. p. 497 et Corssen, Aussprache I. p. 293. Tum ν paragogicum apparet in εἶτεν, quod idem est cum εἶτα, ejusque compositis. Phrynichus de hac forma p. 124 ed. Lobeck. Εἶτεν καὶ ἔπειτεν ἐσχάτως βάρβαρα· εἶτα οὖν σὺ καὶ ἔπειτα λέγε. Quo quidem loco ed. princ. et Phavorin. legunt εἶτε καὶ ἔπειτε. Eustathius dicit 1215, 32. ἐν τοῖς Διονυσίου φέρεται, ὡς ἀττικὰ μὲν τὸ εἶτα καὶ ἔπειτα, τὸ δὲ εἶτεν, ἔπειτεν ἰακά· διὸ, φησὶ, καὶ παρ' Ἡροδότῳ κεῖνται. Cfr. Hartung, Griech. Partik. I. p. 302; Apoll. de adv. p. 604, 24. 25. De notione vocabulorum agere hic non est locus, sed id in dubium non vocabitur, suffixa τα, τεν

respondere sanscr. tas, latino tus, de quibus supra; τα non patiebatur post se nasalem, in τεν autem vocali attenuata ς transiit in ν; natura ergo ν finalis patet. Vocabula πέρᾱ, πέραν, πέρην ita Benfeyus I. 131 distinguit, ut πέρα sit ablativus pro πέρᾱτ, quod verisimile videtur, πέραν et πέρην accusativos esse nemo infitiabitur, ν propterea necessarium. ἔμπᾱν et ἔμπᾰ eandem habent notionem; utrumque est nominativus neutrius; ἔμπα amisso ν corripuit α; cfr. ἔμμι amisso ν; sed apud Aeolenses πάν nominativus etiam corripitur, cfr. Ahrens l. c. p. 119; Pott l. c. p. 489 πρόπαν et σύμπαν retinent ν. δήν et δή non sunt ejusdem stirpis secundum Boppium, Gramm. comp. II. p. 146 seq. Benfeyus contra II. p. 209 seq. uni eidemque radici tribuit; tum δή amisit ν, nam δήν est accusativi forma et δή sicut in notione etiam in forma mutilatum. Similitudinem mutatae significationis praebent νῦν, νύν, νύ, quae ejusdem sunt radicis, cfr. Pott l. c. I. p. 292 seq. Bopp l. c. p. 177 seq., qui quidem aliam originem statuit. Ei assentiens G. Curtius: Grundz. I. p. 282, nro. 441, Pottius l. c. et Hartungius l. c. II. p. 23 seq. νῦν conferunt cum latino novum, ex quo νῦν nominat. aut accus. neutr. est et forma primitiva; νύν et νύ encliticae sunt particulae consecutivae, quibus optime convenit notio temporis praesentis, quae quum fere evanuisset enclisis orta est, quae effecit, ut ν finale excideret. Comparari potest et quod ad formam attinet et ad notionem nostrum „nun“ indicans tempus praesens et consecutionem, in qua abjicitur in vulgari sermone saepissime ν finale. Cfr. Grimm, Gramm. III. p. 249, 759. Benfeyus II. p. 45 contendit, νυ-νί esse antiquum locativum, mutilatum νῦν, quam sententiam improbo, ι finale est ι demonstrativum, de quo jam supra; intelligitur ex majore vi, quam habet νυνί. Cfr. etiam accentus. Ἕνεκα et ἕνεκεν de usu cfr. Ahrens l. c. II. p. 384; etymologiae vocabuli, quae mihi innotuerunt, non satis certae videntur, quare eas hic repetere supersedeo, in eo tamen assentior Benfeyo II. p. 355, terminationem κα, κεν

eandem esse atque sanscritam s'as, quae accuratius servata est in *ἀνδρακάς*. Cfr. quae supra diximus de *εἶτα* et *εἶτεν*, ubi eadem est mutatio. Complures formae dialecticae adverbii *ἀεί* desinunt in *ν*. Cfr. Ahrens II. p. 378 seq. de formis doricis, de aeolicis I. p. 156. sunt hae: *αἰῒν*, *ἄϊν*, *αἰέν*, *ἀέν*, aliae formae sunt: *αἰές*, *ἀές*, *αἰέ*, *ἀέ*, *αἰή*, *αἰεί*, *αἰϜεί*. Quaeritur primum de etymologia. Boppius in Gloss. Sanscr. confert sanscr. âyus. n. a radice *ἰ* ire cum dorico *αἰές*. G. Curtius l. c. confert omnes illas formas cum sanscr. êvas via, iter, latino aevum, gothico aivs. Idem Christius l. c. p. 275. A. Giese, Aeolischer Dialect p. 120. recipit Pottii sententiam: einleuchtend ist die Erklärung von *αἰές* (in *ἀέ* schwand das *ς* nach ächt aeolischem Prinzip) als Acc. und *αἰεί* (in *αἰῒν* ist *ν* ein *ν* parag. des zum Adv. gewordenen Dativs und das aeol. *αἰῒ* liegt, wenn *ι* in *αἰῒν* lang war, dieser dorischen Form zu Grunde) als Dat. d. h. von dem Pelasg. *ἀϳυς* lautete der Dativ *ἀϳασι* d. i. Hellen. Nom. und Acc. *αἰές*, Dativ (wegen der Abneigung gegen das *ς* vor Vocalen) *αἰεϊ* (wozu die nächste Mittelform *αἰεσι* ist), dies musste als Subst. (*αἰέσι* - *αἰέι*) *αἰεῖ* oder nach anderer Orthographie *αἰῖ* lauten etc. Benfeyus l. p. 7 adverbium nostrum cum sanscr. êvas confert, idem Christius, quod magis mihi placet, quam altera comparatio, etiamsi êvas et âyus ejusdem sunt radicis; nam et latino aevum, goth. aivs, et digammate fulcitur, quod secundum Ulrichsium legitur in inscriptione Corcyraea C. I. nro. 1, *ς* finale respondet sansc. instrumentali êvâis, aut statuendum est neutrum singulare, quod adverbii vice fungitur, ut *σαφές* et ex *ς* factum est *ν*, ut saepius; cfr. Pott l. c. Ceterae formae apocopen harum literarum passae sunt, ut optime demonstratur formis *ἀέ* et *αἰέ*. Similia sunt vocabula *αὖθι*, *αὖθις*, *αὖθιν* cfr. Benfey l. c. II. p. 269. *αὖθις* est forma antiquissima, *ς* mutatum est in *ν* aut plane excidit. Cfr. Bekkeri Anecd. p. 1347 s. v. *αὖθιν*, ubi tamen falso *πλεονασμὸς τοῦ ν* statuitur. Denique de *ν* mobili particulae *κέν* agendum est; forma dorica est *κά* cfr. Ahrens l. c. II. p.

381; Ann. Oxon. I. 1601. De origine agit A. Kuhnius in Kuhn und Schleicher, Beiträge I. p. 364. nota: dass dies kam dem griech. *κέν* entspreche, habe ich bereits in der hall. allgem. Litt.-Zeit. Nov. 1846 p. 846 ausgesprochen; sein Gebrauch ist freilich ein viel beschränkterer als der der griech. Partikel, aber solche Verbindungen wie nukam und *νύκεν*, auf welche Benfey Gloss. zum Sâm. Ved. s. v. kim aufmerksam gemacht hat, machen die Identität beider Partikeln unzweifelhaft. In Griech. Wurzellex. II, 146. Benfeyus confert latinum „quam et quum"; formam graecam *κάν*, quam doricam esse dicit, nusquam inveni. Eandem sententiam sequitur Leo Meyer, Vergl. Gramm. der griech. und lat. Sprache I. p. 239; Pottius l. c. I. p. 224—432 copiosissime de hac particula agit, sed quamquam alias etymologias proponit, non negat *ν* in *κέν* esse antiquum, dubitat tantum de hac etymologia p. 427. Mihi ut aliis e. g. Benfeyo, Christio quoque *ν* finale in *κέν* non videtur esse parag. Suffixo *ζε*, quod exprimit motionem ad locum, seriore tempore interdum additur *ν*. Cfr. Bast. ad Gregor. Corinth. p. 166 seq. Schaefer, ubi citantur Eudociae violar. p. 242. *ἐλθὼν Ἀθήναζεν*. Cononis Narrat. cap. 27. *Ἀδήναζεν ἀφικόμενος*. Vitiosam hanc formam esse dicit Bastius. *ν* additum esse apparet ex etymologia, de qua cfr. Benfey l. c. I. p. 387 seq., II. 232; Spiegel: in Kuhn und Schleicher, Beiträge II. p. 29; Windischmann, Mithra p. 44. *ζε* ortum est ex *δε* cum antecedenti *σ*; cfr. Aeolicum *ὕσδος* = *ὄζος* doric. *ἔρασδε* Theocr. VII, 146. Postquam *σ* transpositum est post *δ*, litera *ν* orta est ut in terminatione *σι*.

X.

N paragogicum, quod in verbo cernitur. Invenitur tantum in activo et tertia persona plurali aoristorum passivi in *ωσι(ν)*, quae tamen congruit cum tertiis personis pluralibus activi in *σι(ν)*, quod ad terminationem attinet. Itaque

de activo tantum agendum est. Formae, quae huc pertinent, sunt III. pers. sing. praes. verborum in μι, τίθησι(ν), III. pluralis τύπτουσι(ν), quacum consentiunt ceterae III. personae plur. in σι(ν), praeterea III. pers. sing. Imperfecti et Aoristorum Ind., tum III. pers. sing. Aor. Conj. τύψειε(ν). Denique III. pers. sing. Plsqm. ἐτετύφει(ν) et nonnullae aliae formae minus usitatae. Terminationes σι(ν) in singulari et plurali pro nostra quaestione eaedem sunt, utraque orta est ex antiquiore τι, quod servant Dorienses; eadem terminatio est in sanscrita lingua, ut Cl. I. budh III. pers. sing. bôdhati, III. plur. bôdhanti et in zendica pro sing. ti, pro plurali nti; latina lingua servavit t, sed abjecit vocalem finalem, gothica in singulari t in t aspiratam mutavit, in plurali in mediam: nimith, nimand. Lingua Slavica antiqua in III. personis sanscr. praebet terminationes ti et nti. Videmus ν post has terminationes graecae linguae proprium esse, sed in ea non usurpatur, nisi τ in σ mutatum est, cfr. Ahrens l. c. II. p. 293. Pindarus, apud quem promiscue τι et σι leguntur, tum tantum hac terminatione utitur, si ν ἐφελκ. est opus ad positionem efficiendam; cfr. Hermann de dial. Pind. Opusc. I. p. 256; unde sequitur, formam τι assumere non potuisse ν. Aliquot locos ex Pythagoreis, ubi pro ἐντί ἐντίν legitur, citat Ahrens l. c. p. 320, ubi vero Heerenius scripsit ἐντί. Si lectio genuina est Ahrensii, ν ex vulgari forma irrepsisse videtur; similiter legitur etiam εἴκυτιν pro εἴκοσιν; aut postquam ν assumptum est, σ rursus in τ mutatum est. Consideremus quam de hoc ν sententiam protulit Fr. Müller l. c. p. 5.: Hier kann man entweder ein Hinübergreifen dieses ν aus dem Imperf. Aorist. etc. annehmen, oder, was mir wahrscheinlicher dünkt, den Antritt einer Partikel, etwa νυ sanscr. nu, sich denken, wie es wohl in τύψον, λῦσον etc. = τυπ-σα-ν(υ), λυ-σα-ν(υ) unzweifelhaft vorliegt. Ex analogia illa ortum esse ν minime verisimile est, quum analogia non valeat nisi in similibus, haec tempora vero nimis diversa sunt, praecedunt etiam aliae vocales.

Neque magis placet particula illa, comparatio imperativi non quadrat, ut taceam de alia dissimilitudine, ν ibi non est mobile. Muellerus ipse fatetur se vindicare non posse aliquam significationem particulae illi in Indicativo; si alias affert linguas, in quibus particulae similes paene expletivae sint, vix quidquam significantes, nihil demonstrat: nam vis semper iis inest aut fuit etiamsi levissima, graecum vero γε afferre non debuerat, quod nusquam sine notione est. Desunt tantum in nostra lingua particulae quibus illas reddere possimus. Denique cur non usurpatur illa particula in terminatione τι? quae si in una tantum dialecto usurparetur a certis scriptoribus, dialectorum differentia caussa afferri posset, sed apud Pindarum e. g. τι et σι promiscue usurpantur et τι nunquam ν adsciscit. Neque video caussam cur ν mobile sit, si ex particula illa ortum esset; primitus certe fuisset aliqua notio particulae et inde sequeretur diversitas notionis inter τύπτουσι et τύπτουσιν. Improbavit hanc Muelleri sententiam Pottius l. c. II. p. 681 caussa non addita. De verbo εἰμί (sum) aliqua dicenda sunt; II. pers. sing. forma Homerica ἐσσί(ν), quae in sanscrita lingua asi sonat, ν pari vocali ex tertia persona irrepsit sive ejusdem est naturae. III. pers. sing. ἐστί(ν) contra vulgarem usum ν adsciscit, quum desinat in τι quod non mutatum est in σ, quia nitebatur antecedenti consona, ν vero addebatur sicut in aliis verbis, quum ante τ antecederet σ. De ν ἐφελκ. in III. pers. sing. Imperfecti et aoristi idem sentiebam quae Muellerus, priusquam ejus commentationem cognovissem. In cognatis linguis ejus loco invenitur t, ut in sanscrita abôdhat, in latina erat, amabat, sanscr. abharat, graec. ἔφερε(ν) in zendica aperesad (interrogabat), abavad (erat). In graeca lingua dentalis, quae in fine esse non potest vocabulorum aut abjecta est aut ejus loco ν ponitur. Quaeritur utrum t in ν transierit an ν vere sit paragogicum. Si ut statuimus s finale in ν transire potest, hoc etiam de τ concedetur. Plerumque quidem τ in σ mutatur ut in adverbiis in ως, quae respondent

sanscr. ablativis in t. Muellerus l. c. p. 4. τ literam primum in σ transeuntem facit, σ in h quod per nares pronuntiatum ν factum sit. Etiamsi huic rationi non plane assentior quia artificiosior videtur et non omnes hos transitus accidisse, sed potius puto celerius mutationem factam esse literae t in ν, id tamen probo quod ν non paragogicum habet, sed etymologia confirmatum. Alii contra putant illud ν compensare elisum t ita ut t plane exciderit et vocabulum e. g. ἔφερε exstiterit nulla addita consona finali, postea quum intellectum sit aliquid deesse in fine, additum esse ν. At si semel ν exciderat nullo vestigio relicto, nemini in mentem venire poterat formae ἔφερε addere ν quod esset antiqui t loco, quum sine eo forma optime intelligeretur. Itaque ν in III. pers. sing. temporum praeteritorum ex antiquo t ortum est; si quis vero contendat, vere id esse parag., is demonstrare debet, cur in his potissimum formis inveniatur neque in aliis, quae desinunt in ε. Aoristi secundi conjugationis in μι ἔθη etc. ν nunquam adsciscunt, quamquam est in sanscrita lingua t, ut quod graeco ἔθη respondet adhât. Hoc propterea fit quod producta syllaba antecedit, nam ν ἐφελκ. post breves tantum vocales ε et ι usurpatur excepto ι demonstrativo. Imperfecti verbi εἰμί prima pers. sing. apud Atticos saepe ν finali caret ἦ ut apud Platonem Protag. 310, Aeschyl. Ag. 1609, apud Aristophanem passim, cfr. Heindorf ad. Plat. l. c. Sanscr. est âsam ex quo ortum est ἦν ea ratione, ut s inter duas vocales ejiceretur quod saepissime fit. Cfr. quoque forma Homer. valde memorabilis ἔον. Jonicae formae ἔα et ἦα servarunt alterum α, abjecerunt ν ut aoristi primi; ex ἔα videtur ἦ per contractionem ortum esse, sed amisso ια etiam ex ἦα natum esse potest. ἦ igitur non cum ἦν confundendum est, quum utrumque quidem ejusdem originis sit, sed diversa ratione formatum. Tertia persona singularis semper ν finale retinet ἦν, forma dorica est ἦς, sanscrita âsît, cui euphoniae caussa î insertum est, quia in fine vocabulorum sanscr. lingua duas consonas non patitur. Vedica

lingua praebet âs Armenica êr. ν finali in ἦν alia origo vindicanda videtur, quam in aliis praeteritis, ut ortum sit ex dorico ἦς, quam formam Kuehner, Gramm. p. 234 ex ἦτ natam esse dicit. Hanc explicationem Boppius l. c. II. p. 407. probat, postquam aliam protulit, ex qua ἦς respondet vedico âs, armen. êr, quae non assumpserunt signum tertiae personae. Quae sententia verior sit dijudicare, hic non refert. Kuehneri sententia explicatur, quomodo in aliis praeteritis ex t finali fieri potuerit ν parag., sed non videmus, cur ν in ἦν non mobile sit, quod in brevi vocabulo facile coalescere potuit, praeterea aliae formae differunt quantitate praecedentis vocalis. Optativus Aoristi I. Act. praeter formam τύψαι praebet τύψειεν, cujus ν est mobile, quae forma a grammaticis ad aeolicam refertur dialectum, sed apud Atticos etiam multo frequentior est quam τύψαι. Optat. graec. respondet latino conjunct. et sanscr. potentiali, quorum III. pers. sing. desinit in t latine siet (sit) sanscr. syât. cfr. Boppii gramm. comp. III. §. 672 seq. Hinc intelligitur ν finale hujus formae ejusdem esse naturae, cujus ν finale in III. personis sgl. temp. praet. quod ex t ortum esse diximus. In plsqmpf. tertia persona sgl. nonnunquam ν in fine additur. Ex unanimi quantum equidem scio sententia doctorum virorum, qui de hac re scripserunt, in hoc tempore continetur verbum εἶναι, quae forma sit praesens an imperfectum in hoc dissentiunt. Cfr. G. Curtius, Beiträge p. 332; Pott, Etym. Forsch. p. 45, ed. I.; Landvoigt, Abhandlung über Person- und Tempusformen der griech. und lat. Sprache, Merseburg 1831, p. 22; Bopp Vgl. gramm. II. p. 532—537. Utcunque res se habet ν non temere additum est, nam aut est loco literae t, signi III. pers., aut (cfr. quae supra de forma ἦν dicta sunt) pro antiquo σ positum est. Pro vulgari forma ἐτετύφει legitur etiam ἐτετύφει(ν), ex quo —ει(ν) ortum est, quod post longam syllabam, sicut plerumque fit, ν abjiciebat. De usu hujus terminationis addita ν apud Homerum et alios scriptores cfr. „Aristophanis Byzantini Grammatici Alexandrini

fragmenta collegit et disposuit Augustus Nauck 1848" p. 33 seq., qui satis multa exempla attulit. Quae vero de Homero docet in iis non assentior argumentis nimis levibus niso. Digammi quod in hujusmodi rebus summi est momenti naturam non satis cognovisse videtur; nam si cognovisset, scribere non poterat: „ὑπέρ vero digammo uti nemo nunc ignorat." Cfr. praeterea Hoffmanni quaest. Homer. I. p. 67. et Thierschii gramm. §. 211, 32; Curtius l. c. p. 333; Buttmanni gramm. I. p. 419; Ahrens, de dial. II. p. 331. Ex ratione metrica de hoc ν apud Homerum nihil demonstrari potest, quum quantitas praecedentis syllabae addita aut omissa illa litera non mutetur. Aliqua differentia intercedit inter plusquamperfectum et imperfectum quod ad usum ν finalis attinet; in imperfecto enim paene nunquam contracta syllaba antecedente ν additur, quod fit ut vidimus in plusquamperfecto. In prima persona sgl. plusquamp. ν omittitur post terminationem εα. Quum plerumque ν post α omittatur, dubitari nequit ν hic ad vocabulum pertinere, cognatae quoque linguae praebent ejus loco m. In aoristo II. act. I. pers. duplices formae inveniuntur aut addito aut omisso ν; vulgaris forma exit in ον; inveniuntur ἤνεγκα, ἔπεσα Eurip. Alcest. 447, ἔσχα Corp. Inscr. gr. nro. 1030. Quid de hoc ν sentiamus, jam ex iis apparet quae dicta sunt, pertinet revera ad formam, quae primitus in am exibat, quum m sive graecum ν in fine post α fere ejiciatur aut ν abjectum est aut, ut maneret antecedens α, in ο mutatum. De Imperativo activi aor. I. in ν desinente supra jam diximus. Assentimur Pottio et iis qui eum secuti sunt, ν ortum esse ex particula, quae imperativi vim augebat. In imperativo praesentis activi, medii, passivi invenitur pro breviore forma τυπτόντω activi, τυπτέσθω medio-passivi, τυπτόντω et τυπτέσθω in doricis, inscriptionibus cfr. Maittaire, de dial. p. 301 et Koen. ad Greg. Corinth. p. 173, ed. Schäfer. ita tamen ut multo frequentior sit forma cum ν finali cfr. Kühner, Gramm. I. p. 109 seq.; Bopp l. c. III. p. 51 seq.; Ahrens, II. p. 296; Boppius ντω terminationem explicat ex sanscrita, quam supponit ntât, omissum esse ex lege t finale, postea ν esse additum. Assentior praeterquam quod ν ex t ortum esse puto, quum aliter omnino non possit intelligi cur huic potissimum formae ν affixum sit; in forma illa dorica inscriptionum t non mutatum est, sed excidit. Respondet ei forma latina in nto amanto. Exempla ex inscriptionibus satis superque allata sunt a Koenio et Ahrensio.

XI.

Postquam quaesivimus de ν paragogici natura in singulis formis et vocabulis, in quibus invenitur, utrum antiquitus ad formas pertinuerit an postea additum sit sine notionis mutatione, jam consentaneum erit de hujus literae usu agere. Generalis grammaticorum lex est ν parag. poni ante vocales et in fine enuntiati. Afferamus antiquorum grammaticorum de hac re praecepta. Cfr. primum qui breviter hanc rem tangit Dionysius Hal. de comp. verbb. p. 43, 3. Grammatici Augustani de dial. fragmentum post Greg. Cor. ed. Schäfer., p. 669, §. 25. Ἐν τοῖς τρίτοις προσώποις ἡ νέα τῶν Ἰώνων διάλεκτος καὶ ἐν ταῖς δοτικαῖς πληθυντικαῖς τὸ ν ἐφελκυστικὸν οὐ . . . . . εἰ μὴ χάριν μέτρου. Apollonius de conjunctionibus p. 520, 33, ed. Bekker: καὶ ἐκκείσθω ὑπόδειγμα τὸ ἐπὶ τοῦ ν ὅ μάλιστα παμπολλόν ἐστιν ἐν τῷ πλεονασμῷ, ἕνεκα εὐφωνίας παραλαμβανόμενον ἐπὶ παντὸς βραχυκαταλήκτου ῥήματος, ἔλεγεν, ἔλαβεν, καὶ ἐπὶ δοτικῶν τῶν εἰς ι ληγουσῶν, παισίν etc. Cfr. idem de adverbiis, p. 574, 8 seq. et p. 603, 31 seq.; Aristarchus junior apud Bekkerum, Anecd. gr. p. 1400, praecipue de diall. diversitate; Maximus Planudes, ibidem, p. 1401, longior est quam ut eum adscribamus locus; agit quoque de levi codicum in hac re auctoritate. Bekkerus ejus verbis addit: Qui quod de auctoritate codicum dicit, verissime dicit. Bekkeri vero sententia summam habet auctoritatem, quum

vix quisquam in codicibus magis versatus sit. Propterea non opus est exempla ex codicibus et editionibus afferre. Moneamus tamen e. g. apud Suidam s. v. *Ἐρατοσθένης*: *ἐτελεύτησεν π′ ἔτη* legem servatam esse, quod primo aspectu non videtur, et afferamus exempla, quae contra regulam inveniuntur in Eusebii Caesariensis Onomastico, qui etiamsi scriptor est serioris temporis, tamen in his rebus magis orthographicis eandem fere habet auctoritatem, quam antiquissimi scriptores, quum codices graeci ejus aetate recentiores sint. s. v. Jether: *ἀπέστειλεν Δαβίδ*; s. v. Cison: *ἐπολέμησεν Δέβοῤῥα*; s. v. Sephala: *ἐστιν πᾶσα*; s. v. Aermon: *φασιν δὲ εἰς*; s. v. Azotus: *ἀνεῖλεν τούς*; s. v. Aroer: *γέγονεν δέ*; s. v. Asoson: *κατέκοψεν Χοδορ*; s. v. Aulon: *εἰσιν δέ*; s. v. Bethsames: *καί ἐστι εἰς*; s. v. Gai: *καί ἐστι εἰς*; s. v. Thaanach: *εἷλεν ταύτην*; s. v. Thanae: *καὶ νῦν ἐστι ἀπό*.

Quomodo res se habeat in inscriptionibus, quae antiquitate codices longe superant et quatenus sunt publicae, fide sunt dignissimae, diligenter quaesivimus. Multa exempla, quae regulae non conveniunt ex primo tomo Corporis Inscriptionum graecarum a Boeckhio edito, congessimus.

INSCRIPTIONES ATTICAE:

p. 107, nro. 71, Col. b, lin. 31/32: *πόλεσιν τοῖς*; lin. 5/6: *μύστησιν καὶ*; lin. 8: *ἀκολούθοισιν καὶ δούλοισιν τῶν*. p. 109, nro. 72, lin. 9; *τοῖσι Ἀθην*. p. 116, nro. 76, l. 1: *ἔδοξεν τῇ βουλῇ*; l. 2: *εἶπε ἀποδοῦναι*. p. 121, nro. 82: *ἔδοξεν Πλατ*. p. 124, nro. 86, l. 1: *ἔδοξεν τῇ βουλῇ*. p. 126, nro. 87, l. 7: *οὐκ ἔστι ἔτι*; l. 32: *ἐπιδημῶσιν κατ' ἐμπορίαν*. p. 129, nro. 90, l. 6: *ἐπεψήφισεν Γαυκετ*; l. 7.: *ἔδοξεν τῇ βουλῇ*. p. 132, nro. 93, l. 12: *πολέμιοι ἐξείργωσι ἤ*; l. 26: *εἰςενέγκωσι ὑπολογίζεσθαι*; l. 46: *ἔτεσι οἵδε*. p. 136, nro. 98, frustulum *ξεν τῷ δήμῳ*. p. 137, nro. 99: *ἔδοξεν τοῖς*. p. 139, l. 16: *Πειραιεῦσιν νόμιμον*. p. 140, l. 2: *ποήσωσιν κατά*; l. 14: *Πειραιεῦσι. Ἐπειδή*; l. 16: *πεπόηκεν τριακοσίαις*. p. 146, nro. 107, l. 31: *ἀπαροῦσιν καί*.

INSCRIPTIONES PELOPONNESIACAE:

p. 577, nro. 1118, l. 2: *ἔχουσιν τῆς*; l. 7: *ὦσιν τοῖς*. p. 595, nro. 1197 in fine: *ἐποίησε*. p. 596, nro. 1201 et nro. 1202 in fine utriusque: *ἀνέθηκε*. p. 635, nro. 1275: *ἔγραψε Ἀγ*. p. 653, nro. 1335, l. 5: *τυγχάνουσιν Σπάρτῃ*. p. 688, nro. 1457: *διετέλεσε εἰς*.

INSCRIPTIONES BOEOTICAE:

p. 762, nro. 1582 in fine: *ἐπόεισε*. p. 790, nro. 1625, l. 14: *πόλεσιν θαυμάζεσθαι*; l. 26: *ἔλαβεν μαρτυρούμενος*; l. 29: *ἔλαβεν μετά*; l. 49: *διέλιπεν ποιῶν*; l. 52: *ἠρίστισεν καί*; l. 53: *παρέλιπεν δέ — ἠρίστισεν δέ*; l. 70: *ἐστιν κοσμουμένους*; l. 71: *ἔδοξεν τοῖς*.

INSCRIPTIONES PHOCICAE, LOCRICAE, THESSALICAE:

p. 805, nro. 1688, l. 25: *δικαίῳ σφιν δοκῇ*; p. 816, nro. 1689, l. 4: *ἱερομνήμοσι ἐν*; p. 827, nro. 1702, l. 7: *ἐπίστευσε Ἀλκυονίς*; p. 830, nro. 1706, l. 7: *ἐπίστευσε Ἀπολλωνία*; p. 838, nro. 1711, l. 2: *ἐκέλευσέν με*; l. 11: *ἥτις ἐστὶν πέτρα — ὑφ' ἥν ἐστιν βαθεῖα*; p. 856, nro. 1755, l. 16: *ἔδοξεν κατὰ τὴν αὐτήν*; p. 860, nro. 1766: *ὀνέθεικε ἱερομναμονείσας*; p. 862, nro. 1770, l. 2: *πᾶσιν φανεράν*; l. 15: *διδάξωσιν καί*; p. 863, nro. 1771, l. 1: *ἔδωκε Ἀγέστῳ*; p. 864, nro. 1772, l. 1: *ἔδωκεν Πύῤῥᾳ*. His addam Ahrensii observationes de Aeolicis l. c. I. p. 45: *ν ἐφελκ.* notabilem in modum in titulis negligitur. In Lesb. 2166. 17 legitur *πρόσθε ἐόντων*, 27. *ὅσσα κε ὅμο* . . . 29. *αἴκε ἄγηται*, 31. *ἐλθόντεσσε ἐπὶ*, 35. *τοῖς θέοισι ἐπὶ* in Lamps. 12. *διέλυσε ἴσως*. De Doricis II. p. 87 seq. *ν ἐφελκ.* in dativo pluralis et in tertia verborum persona quum in *ε* exeat addi poterat ut vulgo quamquam in titulis nulla constantia vel additur vel omittitur. Ita in Tabb. Heracl. haec dativi exempla leguntur: I. 2. *ποιόντασσιν αὖτα*, 56. *ἔντασσιν παρ.*, 110. *πρασσόντασσι· αἰ δέ*, 127. *ὑπαρχόντασσι δενδρέοις*. Praeterea ex lege in fine eorum versuum, qui non systematis vinculo cohaerent, *ν* additur nulla ratione habita sequentis literae, praecipue igitur in hexametris et senariis; sed neque haec lex inscriptionibus

confirmatur. Ita inveni in C. I. p. 437, nro. 373, inscriptionem hexametris compositam, quorum tertii in fine est *ἀγανῇσι* quinti *ἀνέθηκε*; p. 456, nro. 428 duo disticha; tertius versus desinit *δοκέουσι*, quartus incipit *ἀκμῆτες*; p. 513, nro. 765, l. 5: hexameter desinit *κεκρόπεσσι*; p. 798, nro. 1656, l. 1: hexametri finis *θανοῦσι*. De usu *ν* paragogici in fine senarii et de aliis rebus huc pertinentibus cfr. Porson ad Euripidis Orestem v. 64: „Ineptus esset, quicunque in tali caussa provocaret ad M. S. S. cum nulla sit eorum auctoritas; id solum deprecor, ne quis contra hanc regulam eorum testimonio abutatur; M. S. S. enim neque alter alteri consentiunt, neque idem M. S. sibi ipsi per omnia constat. Cfr. etiam ad Eurip. Medeam v. 76 ubi praecipue editiones conferuntur multis allatis exemplis; cfr. praeterea G. Hermannus in commentatione, quam supra citavimus de *ν* paragogico. Videmus igitur leges grammaticorum in hac re non valere, editiones et codices contrarium demonstrare non possunt, quum confecti sint a grammaticis ipsis, quamquam nusquam fere consensus invenitur. De Thucyd. conferatur Popponis editio major, Pars IV., p. 56 seq. In exemplis a regula discrepantibus, quae ipsi ex inscriptionibus congessimus, 61 contra regulam *ν* addunt, 34 omittunt, versuum vero ratione non habita. Singulari modo *ν* paragogicum apud Homerum usurpatur ad hiatum vitandum, postea additum, qui hiatus Homeri tempore digammo vitabatur, quod quum ex usu sermonis evanuisset neque Homerus crederetur eo usus fuisse compensari alio modo necesse erat. Neque vero ubique *ν* parag. postea additum est, ubi sequitur vox, quae in fronte habuit digamma; nam interdum utrumque opus est ad positionem efficiendam, ut Odyss. XIV. 134. *ὀστεόφιν Ϝερύσαι*. Locos ubi ejusmodi *ν* parag. invenitur, afferamus ex primo libro Odysseae et Iliados. In Odyss. v. 3. *Ϝίδε(ν) Ϝάστεα*, 117. *κτήμασι(ν) Ϝοῖσι(ν) Ϝανάσσοι*, 158. *κε(ν) Ϝείπω*, 212. *ἐγὼ(ν) Ϝίδον* similiter, 216. *οἵ(κ) Ϝοῖδ'*, 218. *κτεάτεσσι(ν) Ϝεοῖς*, 322. 349. 389. 402. 419. 430. 444. In Iliadis libro primo:

83. 96. 110. 151. 231. 252. 294. 317. 361. 373. 442. 537. 587. 608. Aliis locis similes mutationes factae sunt, ut hiatus vitaretur e. g. adverb. in *α* mutatum in *ον*.

XII.

In aliis linguis multa inveniuntur Graecorum *ν* paragogico similia ut quod jam commemoravimus anusvâra locativi in lingua prâcrita, mas et ma in prima persona plurali praesentis; in sanscrita saepius s inter duas consonas inseritur, de cujus natura viri docti dissentiunt; in latina lingua comparari possunt duplices formae nom. propr. Graecorum et in on et in o desinentes, lex quae statuitur, eorum nominum, quorum genet. non exeat in tis, nominativos carere *ν* finali, non in universum valet. Codd. in his rebus variant, optimi Senecae exhibent Zenon, Platon etc. cfr. Reisig, Vorles. über lat. Sprachw. p. 85; Schneider, Lat. Gramm. p. 275; Heindorf. ad Horat. Sat. II. 3. 254. Comparari potest etiam s et m in versibus elisum illud ante consonas, hoc ante vocales. Lingua Francogallica similitudinem praebet in a-t-il, ubi t inseritur ad hiatum vitandum, sed pertinet revera ad terminationem III. personae lat. „habet"; et in si l'on, hic l est articulus, latinum ille, qui praeponi potest pronomini on, quum ortum sit ex latino homo, revera igitur sit substantivum. In lingua germanica nostri temporis invenitur n parag. in nom. sgl. decl. deterioris mscl. aliquot substantivorum, ut glaube(n), name(n) etc.; in vocab. brunnen haud facile nunc omittatur. Repetitum est hoc n ex cass. obl., usurpatur hiatus vitandi caussa. Nomina propria simile quid habent; in Germania superiore uxores significantur nomine mariti terminatione fem. in addita, ut Meyerin vel contractum Meyern, in nostra vero regione, ubi haec forma non intellecta malo imitandi studio usurpatur, *ν* mere paragogicum est; nam antea dicebatur frau Meyer, nunc *ν* abundans additur. Aliud *ν* apparet in nom. propr. sine generis discrimine

post ε finale et in iis, quae substantivi et iis quae adjectivi notionem habent. Literarum monumentis demonstrari potest in multis n postea additum esse, ut e. g. si quod nomen prius sonabat Lücke, nunc sonat Lücken, Schwarze, nunc Schwarzen, Gehle (flavus), Gehlen, Willeke, Willeken, quamquam de hoc nomine certa exempla mihi desunt, scio tantum diversarum familiarum nomina diverso modo scribi. Quaeritur cur ν additum sit? certe ut nomen adornaretur, nam sensim irrepere sine sensu non potuit, quia nomina toties scribuntur. Equidem persuasum habeo, plerumque, etiamsi nonnulla aliter explicari possunt e. g. ut sint nominativi plurales, ortum esse ex imitatione nominum nobilium, quae quum eadem sint cum nominibus locorum, possessionum dativi pluralis formam praebent cfr. Immsen, Brenken, Haxthausen etc. Aliter res se habet in terminatione nom. propr. ken, huic n debetur, habet enim vim diminutivam. Post hanc degressionem redeamus ad paragogicum Graecorum inquiramusque de ejus origine. A. Giese, Aeol. Dial. p. 109. dicit: Auch das Schluss-ε war dem Untergange leicht ausgesetzt, weil dieser Vocal der leichteste von allen ist; allein die Sprache griff hier zur Hülfe des ν ephelc., denn das ist das Wesen dieses ν, dass es den leichten Vokal schützen soll etc. etc. De ν post ε ab eo dissentimus, non est paragogicum. Sententia tota autem eo refellitur, quod nulla caussa apparet, cur non in aliis formis ι et ε firmentur ν finali. Unum tantum ν mere paragogicum invenimus in terminatione σιν; quam habebamus de hujus origine sententiam, confirmatam vidimus auctoritate Lepsii (Paläographie als Mittel zur Sprachforschung p. 71), quem citat Hoffmann. Quaest. Hom. I. p. 83, ortum esse, „quum pronuntiatio facta esset nasalis.“ Physiologia explicare originem, harum rerum parum periti, non suscipimus, quamquam putamus id non ingratum fore. Cum mobilitate ν paragogici comparari potest digammi in fronte vocabulorum apud Homerum et antiquos lyricos mobilitas.

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

DISSERTATIONE

DE LITERA N GRAECORUM PARAGOGICA

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXX. MENSIS JULII A. MDCCCLXIII.

PUBLICE DEFENDET

GUILELM. CONR. DEVENTER

PADERBORNENSIS GUESTFALUS

SEMINARII PHILOLOGICI SENIOR.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

BERNARDUS KLEIN, DOCTOR PHILOSOPHIAE.
AUGUSTUS VOLPENHENN, STUDIOSUS PHILOSOPHIAE.
ALBERTUS BECKER, STUDIOSUS PHILOSOPHIAE.

MONASTERII.

TYPIS COPPENRATHIANIS.

MDCCCLXIII.

THESES.

I. Hominum animos primitus aequales esse, diversos reddi rebus externis contendo.

II. Interest etiam ad intellectum ne morum probitate careamus.

III. Summa philologiae ac finis materiali quam vocant neque vero formali ejus parte continentur.

IV. Capita eorum quae Wolfius de Homero docuit, nondum sunt refutata.

V. Errat Nitzchius Odysseae I. v. 10. ejiciendum censens.

VI. Ajax antiquissima est Sophoclis fabula earum quae servatae sunt; idem valet de Aeschyli Persis.

VII. Taciti annal. III, 47. legendum: „omissam urbem"; lacuna non statuenda.

VIII. Lachmannus et Hauptius etiam in Catulli carm. 62. ante versum „nocte latent fures" etc. nimis magnam statuunt lacunam.

IX. Injuria contenditur Virgilium in ecloga IV. de Christo cogitasse.

X. In fine Nibelungiadis legendum est „nôt".

XI. Henricus IV. Germanorum rex minime ea vituperatione dignus est, qua scriptores nonnulli eum prosecuti sunt.

XII. Aliso Romanorum non eo loco fuit, quo nunc est Elsen pagus ad Paderbornam situs.

XIII. Episcopus Paderbornensis Imad non interfuit synodo quae dicitur latronum Wormatiae a. 1076 habitae.

VITA.

Natus sum Guilelmus Conradus Deventer Paderbornae a. h. s. XXXIX. patre Luca matre Elisabetha e gente Dorsel. Fidem profiteor catholicam. Primis literarum elementis ab Haustadtio p. m. praeceptore publico institutus per sex annos frequentavi gymnasium urbis patriae. Examine quod dicunt pro maturitate Coesfeldiae superato, Paderbornae studiis philosophicis me dedi ibique audivi VV. RVV. Badium, Eveltium, Oswaldum, Plassmannum. Deinde hanc almam adii academiam auctumno a. MDCCCLIX. philologicis potissimum studiis me traditurus; interfui lectionibus VV. CLL. Bispingii, Clementis p. m. Deyksii, Heisii, Hittorfii, Niehuesii, Rospattii, Schipperi, Schwerdtii, Winiewskii, et omnibus quibus docebat Storckius. Seminarii philologici per biennium sodalis ordinarius exstiti, per unum annum Senior.

Omnibus his viris clarissimis gratissimum, dum in viris ero, animum servabo.

VITA


COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
0021122008

